

I. N. D.

# RHETOR MUSICUS.

Seu

SPECIMEN ACADEMICUM,

De vi & usu MUSICES

In RHETORICA,

Favente Amplissimo, Celeberrimoq; Ord. Philos.

In inclusâ Reg. Acad. Aboënsi,

SUB

AUSPICIIS

## CHRISTIERN ALANDRI,

Eloq. Rom. Professoris, Præceptoris mei  
honoratissimi.

ERUDITIS,

Publicè ventilandum,

Die 18 Aprilis Anno CHRISTI 1703 In Audit. Maximo,

Modestè exhibitum  
a

SAMUELÈ PREUTZ,

Exc. Jo. Wal.

Lv: Jonas Renauer

In  
**DEUM, & REGEM,**

Fidelissimo VIRO,  
**EPISCOPO, & PRO-CANCELLARIO**  
Aboënsi,

DN. PATRI, Reverendissimo & Magnificentissimo,

**Do&t. JOHANNI  
GEZELIO,**

DOMINO, PATRONO, ac PROMOTORI  
meo Maxumo.

**S:<sup>æ</sup> R:<sup>æ</sup> M:<sup>æ</sup>TIS**

Fido Viro,  
ET COMMISSARIO STATUS,  
Nobilissimo Domino,

**GEORGIO  Balrave/**

Patrono Optimo.

S:<sup>Æ</sup> R:<sup>Æ</sup> M:<sup>TIS</sup>

Fido VIRO,

Generosissimo ac Nobilissimo  
DOMINO,

DN. S V E N O N I

Seynonmarck/

Summi Regii Fennorum DICASTERII VICE · PRÆSIDI EX-  
cellentissimo . DOMINO meo Benignissimo.

INCLYTÆ CURIAE Aboënsis  
CONSULI,

Amplissimo & Spectatissimo,

Dn. ANDREÆ Bryg/

Patruo suo Carissimo.

**G**noscite DOMINI,  
inter spem & metum hæsitanti  
mihi ; Ignoscite inquam, quod  
in humilimæ venerationis do-  
cumentum, pagellas hasce NO-  
MINIBUS VESTRIS dicare  
audeam. Tremit mea Musa, siletque, quoties  
cultum,, quem dignitatibus meritisq; VESTRIS  
debeo, ruminor ; Quoties favorem inclutum, be-  
neficiaque, maximè à TE, REVERENDISSI-  
ME DOMINE, in me & alios innumeros, cu-  
mulara perpendo, adeo ut jure meritoque felices  
nos

nos dicam, quod ex providentia **SUMMI  
GUBERNATORIS, TE EPISCOPUM  
& PRO-CANCELLARIUM** nacti simus, cuius  
summa merita, quemadmodum non modò extol-  
luntur ab omnibus harum Regionum, sed etiam  
celebrantur ab exteris, ita devotâ animi reve-  
rentiâ agnoscimus singularem amorem, quo Li-  
teras Literatosque prosequeris; ut **TE PATRO-  
NUM** sicut autoritatem pollentem, sic voluntate  
propensum, & accepisse gaudeat, & quam diu-  
tissimè habere optet hæc *Academia* nostra  
*Aboensis*. Ast, DOMINI! merita VESTRA, cum  
in omnem Rempublicam, tum memet, quæ  
ad tantum numerum surrexere, ut animum  
quamvis gratum & promptum inveniant, impo-  
tentem tamen relinquant, ingentes quidem ex-  
postulant laudes, & non modo laudes, sed &  
præmia, *Vah!* qvid remunerem? cum omnia mea,  
meque adeò ipsum VOBIS debeam, etiam hoc,  
quicquid est munusculi à me, haud immerito  
VOBIS debere me ingenuè fateor. Singulati  
po-

porrò nomine TIBI, GENEROSISSIME DOMINE VICE - PRÆSES, ut potè super vastam eruditionem omnigenam, sic *Musicā* etiam ad modum subtilissimum claro, ut vix sit aliis ejus magis artis magister. Mirari ergo desinete DOMINI, quod dubitationibus rejectis, eadem à VOBIS implorare ausus sim, quò illo. rum, non minus in beatum Patrem meum, quam dilectissimam Matrem, adhuc in vivis existentem, à TE potissimum, NOBILISSIME DOMINE COMMISSARIE STATUS, pro- fectorum, participem me & posthac fieri fina- tis. VESTRA erga me merita, nulla unquam dies, nulla temporum vetustas, nec casus ullus, neque fortuna, oblivione delebit. Supplex igi- tur offero, exilem hunc sterilis Juventæ fru- etum, vileque munus, in perpetuam, & nun- quam intermoritram beneficiorum in me collatorum memoriam; felix munus, si in propensas manus venerit; felicissimus ego, si gra- tum munus. VOS DOMINI, non munere hoc,

sed

sed majori & meliori digni. Proinde, ut quantum velim, non præstem, admittite jam, quantum potuerim, majora meriti, & sic, ut majora præstem; Accipite ergo eum in VESTRA clientelâ, qui te non solum, pro VESTRA, VESTRORUMQUE salute indefessas preces ad OMNIPOTENTEM fundere velle profiteretur, sed & post cineres, si fata rulerint, NOMINA VESTRA celebrabit. Interim servet VOS longum DEUS, VESTRIS, mihi, aliisque,

*Vovet, & Vovebit, dum Vixerit,  
REVERENDISS: TUÆ PATERNITATIS,  
Et  
INCLUTORUM VESTR: NOMINUM*

*Deo gratias hoc dico A  
dijdi*

*MISSA ET SOT*

*Devotissimus Clientulus  
S: P: 12*

In  
FACUNDIÆ MUSICESQUE CONIUGIUM,

Eleganti Dissertatione

adumbratum;

ab

Utriusque Artis scientissimo, Humanissimo

**DN. SAMUELE PREUTZ,**



*Hrœicæ quondam fuis bac sapientia vatis,*

*Hec quoque Diræs, jungere verba modis,*

*His movet ille ornos, studiosque ferasq; refrenat.*

*Alter Cadmeum vindicat arce forum.*

*Hanc morem ex illo defuetum tempore defles,*

*Et renovatum iri Calliopea negat.*

*At qui grande vales quantum linguâque modisque,*

*PREUTZI, mærentem spes revocare jubes:*

*Mercedemque feres, quam tu miraberis olim,*

*Cum frontem lambet laurus amica suam.*

*Amicā sed festinā manu  
scribeb.*

**TORST; RUDEEN.**

*Ad*

Juvenem, literis & moribus μετικώτερον,

IN

R H E T O R E M U S I C O  
disputantem.,

D N. SAMUELEM PREUTZ,  
Popularem meum integerrimum.,


 Ερπιάδης κῦδι<sup>Θ</sup> φέρε καὶ μέγ' ὄντειρ ἀσιδῆς  
 Αὐθιδακτ<sup>Θ</sup> εἰν ᾧ μὲν Θεὸς ἐν Φρεσὶν δίμοις  
 Πανπίας ἐνέφυσεν, ἔσκα δὲ ὅτι τοθασέδων,  
 Τέτω γὰρ ὄδυσεῖς, δῶ ζωὴν καὶ γὲ χολωθεῖς,  
 Τοῖς μυησήσοις οἱ μὲν λυγρὸν πῆμαν ἵπεσπον,  
 Άλλὰ γὲ πρπάδης Τότ' ἐλύσκαζε κῆρα μέλαιναν,  
 Καὶ φόρμιγξ μὲν τῦπον ἐρύσσοις καὶ ἰστάσον.  
 Ταῦτα ποτάδης: ἀλλ' περψιχόρη μάλ' ἀγλαῖα  
 Καὶ ἐτέραι Μῶσαν καὶ Φοίβω πᾶς ἀτάλαι<sup>Θ</sup>,  
 Τὴν ἀνδρῆν, ἐπεις ᾧς πεῖσται ἀρμίγασ μελίζων,  
 οἵ σὺ διορεκὲς ΠΡΕΥΤΖ δέλλω σῇ ἐν Φεζίσι,  
 Τῷν πέψις ἀεὶ καὶ πότιον ἐσπεῖσι κῦδι<sup>Θ</sup>.

CHRISTIERN ALANDER.

Ad Virum-Juvenem.

Polissimum, & humanioris doctrinae  
scientissimum,

DN. SAMUEL M PREUTZ.

Amicum sincerum, & dilectissimum.

**S**Acra Novem, nobis facit en solennia Musa,  
PRYTZIUS ingenui cernite scripta Viri.  
Tu simul ut junctis concordent carmina nerdis,  
Qui facis, hic adsis, Delphice noster amor.  
Ille tuae interpres SAMUEL Castissimus artis,  
En laudes loquitur, Rex pataree tusa.  
Nec minus hic Citharam pulsare est doctus acutè,  
Quam suadet dulci callidus ore loqui.  
Thræcium spectes hic Rhetora laude vehendum,  
Hunc una ex trinis ter soror alma solit.  
Doctos hinc merito pergas ornare capillos  
Daphnide, quum flamas fecit Apollo tuas  
Sic canet assiduo laudes tibi gratus alumnus  
Et sanguis tremulam sedulus usque chelyn.  
Gratulabundus scripsit  
S: Tigerstedt.



I. N. S. S. T.

## CAPUT PRIMUM.

Natales vocum seu originem  
indicans.

### MOMENTUM PRIMUM.

**R**epræsentaturo mihi Rethorem Musicum, seu Musice vim & usum in Rhetorica, statim vocum genuina significatio, sollicitudinem ingerit. Constat autem Rethorem appellationem suam sortiri, ab artis officio, vel à diendō, quod Græcis est in Infinitivo, ἔρευν, undē benē dicendi peritia Rheticè dicitur. At non planè tamen convenit inter omnes, quæ illa vox sit, à quâ, tanquam fonte, Rheticis vocabulum derivetur. Græcus quidam Scholiastes, duplex etymon adducit his verbis:

A

ἔρευ-

ἡγεμονὴ δὲ εἴηται, οὐ τοι δότος τὸν πόδαν λέγεται. οὐ δότος τὸν συνηγορεῖν τῷ νόμῳ. πάτερ γὰρ τὸν νόμον Φισκὸν οἱ Δαριεῖς. Putavit enim is interpres, huic arti nomen esse impositum, vel à Dorico vocabulo πάτερ, i. e. Lex, quia legibus patrocinetur, Dorienses enim legem vocant sic, sane & Lycurgus leges suas sic vocabat, ut in ejus vita docet Plutarchus. Item in Apophlegmatis Iaconicis. Vel quæ passiva ac vulgaris magis opinio est, ἀρέω, i. e. fluo, quia ejus artis beneficio & munere, fluminis instar procurrat oratio. Huic rei firmandæ facere videtur Homericum illud de Nestore Iliad: Α. τὸν καὶ ἄπο γλώσσης μέλιτος γλυκίων ρέεν ἀνδή: cuius ἀ λιγνά melle dulcior fluebat oratio: Et Tullius. l. 2. Acad. quæst: scripsit, Aristotelem fundere aureum orationis flumen. Alii dictum volunt ab ἔρω, i. e. dico, quia docet bene dicere, Sed Etymologia hæc minus est vera. Nam ἔρω quidem, quia Præterito destituitur, mutuari illud cogitur ab ἔρω, unde ἔργων non πάτερ αναλόγως diceretur. Verum tamen ἀρέω, quod fluo significat, foret γεντωρ, & γεντωρική, quod verbalia ostendunt: ut sunt γενύμα, humor afluens, πνοτις, fluendi actus, γενσός, fluidus. Quare planissimum est omnino ἀρέω vel dico venisse, non illo integro, de quo ante vidimus, sed alio χαρ' ἀΦάρεστι posito, pro ἔρω, ἀ quo itidem γενύμα, γενσός πάτερ aliaque; Certè hæc Erymologia propria voce exprimit naturam Rhetorices, quia est ἐπιστῆμα τὸν ἀνδέγεν, scientia behè dicendi, ut eam de-

definiunt Stoici apud Laërtium in Zenone, & sunt ab hoc *ρέω*, *ρήτωρ*, *ρήτωρικός*, *ρήτωρική*: à quo Syris ars hæc vocatur *ῥητὴρ* Rehetara. Notamus præterea discriumen illud, quod vulgo faciunt inter *Rhetorem* & *oratorem*: Quamvis enim promiscuè sumantur, interim tamen differunt propriè loquendo, *objecto* & *effectu*. Et est *orator*, qui in judicis & concionibus causas agit, & accommodatè ad persuadendum potest dicere. *Rhetor* vero, qui bene dicendi præcepta tradit, collectim dicam: *Rhetor* in theoriâ; *Orator* in praxi sempèr ferè versatur.

## MOMENTUM SECUNDUM.

**A**lterum vero tituli vocabulum *Musices*, quod attinget, Musicum dicitur, quicquid à Musis nomen habet. Hinc Horatius *solers lyra musa* dicit. Et Phornutus *καλεύται ἐν μῆσαις ἀπὸ τῶν μεταξῶν, οἱ εἰσὶ ζητήσεως,* i. e. appellantur *musa* ab *inquisitione*, hæc enim artes, quæ pér musas significantur, peperit. Sunt etiam qui à convenientia, seu *nexus* *Disciplinarum* & *Encyclopædia*, ut dixere veteres, musas quasi *ομοιότητας* dictas volunt, & multi alii, qui variè de hujus significacione judicia tulerunt, quorum nec nos piget. Verum tamen (ut apertius loquar) putamus nos *Musicam*, ipsasque *Musas* provenire hebræa voce *מֹשָׁר* *Mosar*, seu *Molar*, quæ *disciplinam* denotat, unde Doricè *μῶσα*, pro qua *μῶσα*, *Musarum* enim nomine, omnes artes liberales continetur

tur, præcipue tamen Poësin & Musicam designarunt. His quippe artibus, pueri omnium primò & adolescentes imbuebantur, fuerunt enim apud Thespientes, Musarum ludi, qui Musea dicti sunt: in quibus proponebantur cantilenarum & harmoniæ præmia victoribus. Has Musas Deas fuisse, lacrorum conviviorum, quæ siebant per lustrationes, & solennitatum, & omnis lætitia præsides, significabat Orpheus ita in hymnis:

αὶ τελετὰς θυητοῖς ἀνεδείξατε  
μυσοπολέυτοις

*Rite viris quo ostendistis convivia  
sacra,*

Has itaque, Musas, non harmoniæ solum Musicæ rationem, habere arbitrati sunt antiqui, sed etiam componendorum morum, temperandorumque; animorum in immoderatis perturbationibus. Nam qui Musicæ & Poeticæ facultatis studiolus sit, is ferme libidinosus & inurbanus non esse solet, cum omnia vitia, otium & inscientiam, non verò disciplinarum studia comitentur. Inde accedit, ut Musicam divinam scientiam crediderit Pythag: cuius ope, possent animi mortalium ab impuris cupiditatibus refrænari, & mores componi, resque humanæ à mente divinâ, & cælestibus corporibus gubernari, atque planè omnis in quâvis facultate præstantia, cælitus demitti.

## MOMENTUM TERTIUM,

**P**ropius a re erit perpendere, *Musicam & artem Comicam* notare, ut in illo Terentii Prolog: Phorm: *In medio omnibus palmam esse positam, qui artem tractant Musicam;* periphrastinōs dictum, pro fabulas & Comœdias conscribere. Item in Heaut: *Repente ad studium hunc se applicuisse musicum.* Nec aliter Apulejus inquit: *audi tu, quid homini magnificentius potuisse evenire? per quam prudentiam sapientiamque disceret, numerosque orationis metiretur, ac modos ficeret;* fieretque totus ipse modulatus & musicus: Censuerunt enim ex majoribus nonnulli, nihil omnino posse fieri rectē, quod Musicæ rationi, non aliquā parte conveniret, nihilque tantopere in moribus valere hominum informandis, quam numerorum concinnitatem, & vocum fidiumque harmoniam, ad quarum modulationem, omnes, & animi & corporis motiones, componerentur. Denique prisci *Musicam*, humanitatem Literarum dixerunt, Teste Budæo: qvā ingenuos hominum docebant otium & ignaviam contempnere, animumque recreare.

CAP.

CAPUT SECUNDUM.  
 Effectum Musices & concen-  
 tus harmonici vim per-  
 stringens.

MOMENTUM PRIMUM.

**D**e Musicæ vi, qvid Hi-  
 storiarum monumenta perhibent, sin-  
 gulatim recentere, nec volo, nec pos-  
 sum, singula autem omittere, prout haut possum,  
 ita nec Debeo; hæc itaque accipe, quæ Pythagoræ  
 Discipulis, Damoni, Asclepiadi, & Ilmeniæ tri-  
 buunt: qvorum *bun* vi suæ Musicæ, Ilchiadis dolo-  
 res Sanasse ajunt, *illum* ferventis vulgi seditiones,  
 crebro cantu compescuisse. *illum* ebrios atque  
 petulantes, ad temperantiam, modulo graviori re-  
 duxisse. A Græcis sanctum fuisse, ut animorum  
 atque corporum morbi, ad modulos lyræ curaren-  
 tur, testis est Martianus; ejusqve rei documentum  
 præstissime Thaletem Creensem memorat, dum ci-  
 tharæ levitate sugarit pestilentiam; mitto Terpan-  
 drum & Arionem, qui Lesbios, à gravibus morbis,  
 cantu

cantu liberasse dicuntur. Hierophilum Musicis numeris ægrorum venas pensiculantem, Xenocratem Lymphaticos à dementia, modulis carminum vindicantem, & alios, qui tantam Musicæ vim adseribunt, ut etiam surdis auditum reddidisse visi sint, undé præcinere quoque solitos legimus, qui ægris remedia præstarent. Plura de morbis non addo. Sed nec minorem se observasse harmoniæ vim in Republ: scribit Arist: l: 7. & 8. Polit: ; etenim cum mirari omnes haberent, quamobrem soli, de omnibus Arcadibus Cynethenses, tam feroce ac barbari essent, primus omnium Polybius, propter desertum Musicæ studium, id illis accidisse animadvertisit, cum sanctissimis majorum legibus accurate caveretur, ut omnes Cives ad annum usque trigesimum, in id studii diligentè circumberent, quâ quidem ratione, primi legum laores, sapienter Arcadiæ populos, naturâ feroce ac barbaros, ut qui montes in colebant, ad humaniorem & mitiorem vitæ cultum pertraxerunt; Bodin: l. 4, de Republ. c. 2. hinc Orpheo & Amphioni, id tributum legimus à Poëtis, quod savilonæ testudinis concentu, fera hominum corda mitigarint, agrestes mores expolierint, & dispersos vagosque mortales, in cœtum unum congregarint. De illo nimirum Orpheo, quem etiam Virgil: ornat, mulcente tigres, & ciente carmine querens: Horat: ita canit:

*Sylvestres homines Sacer interpresque deorum  
 Cædibus & victu fædo deterruit Orpheus:  
 Dictus ob hoc lenire tigres, rapidusque leones;  
 Dictus & Amphion, Thebane Conditor arcis,  
 Saxa movere sono tessudinis, & prece blanda,  
 Ducere quo vellet. - - - - -*

Non quod hic, vel ille, flumina cantu stiterit, animalia ratione carentia, vel ipsa etiam Saxa lyra attraxerit, sed quod astatus levitate, homines rupium incolas, & incultis moribus agrestes, & gentes sine rationis cultu barbaras, vel saxonum instar immobiles, cantu, ad sensum voluptatis, & ad obsequii Civilis pelleixerint disciplinam: ut non inconvenienter hoc loco, ad Musices vim & potestatem accommodari possit, quod de humaniorum artium disciplinâ, Ovidius, tanquam ex tripoде edidit: *Emollit mores, nec sinit esse feros.* Hinc est, quod Diogenes Cynicus, carpere solebat Musicos, qui cum lyræ chordas congruentè temperarent, animi tamē mores inconcinnos habebant. Similique mordacitate Isidorus Cynicus, Neronem transeuntem, in publico clara voce corripuit, quod nauplii mala benè cantitaret, sua malè disponeret, quia nulum in vitæ tenore, temperamentum adhibuit. Fuit enim Nero, fidibus ad insaniam usque oblectatus,  
 &

& in theatris musicâ decertavit, non sine maiestatis imperatoriæ dedecore & ignominia, unde & nūmos lyræ notā percussit, & statuas sibi citharæ dico habitu posuit. Pier: in Hieroglyph. usque adēò vero, omnis habitus animi, harmonico concentu gubernatur, ut & ad bellum progressui, iterumque receptui canatur, cantu & excitante, & sedante virtutem. Et quod mirere, magis Lacedæmonii etiam ad lyram citharæque Sonum quam prætorum dictionem acies instruebant, ad eamque modulationem, pugnam solebant inire; Achillem certè inter arma pulsasse lyram ferunt manibus Hectorem occisuris, & Alex: Mag: Artigenide tibicine modulante, usque adēò exarsisse dicitur, ut concussis armis, proripiens se è mediis epulis, manus in astantes intenderet, illectus sono bellico, verum esse ostendens illud Laconicum: *Urget enim ferrum, scitè fidibus canere.* Idem brevi post, molliori sono, & mitiori cithararum ictu, ab armis ad epulas revocatus, non leviorē cantus Musici vim comprobat.

## MOMENTUM SECUNDUM,

**H**ilce positis, dispicere animus est, num reverà effectus illos Musica antiquorum obtinuerit, an verò fabulosum censi omne illud debeat? Fatemur, non deesse etiam inter egregios Musicos,

qui hoc fassum esse credant, ex Græcorum saltim jactantiâ ortum habuisse, & parte tenus ad famam, quæ vires acquirit eundo, nihilque tacere didicit, referendum esse. Sunt etiam, qui hæc talia, non Græcorum jactantiæ imputant, & mendaciis, sed in illius ætatis homines referunt, quos adeo stupidos & rudes fuisse ajunt, ut quicquid audirent, & viderent, mirarentur, undè etiam à qualicunque melodiâ facile quo velles, moveri potuisse, extimant, atque idcirco negant Græcos ita præstantes in Musicâ fuisse, quales vulgo existimantur. Imprimis quidem fateor, Græciam esse fabularum fontem, & quasi Oceanum; fateor etiam, multos harmoniæ effectus minores esse potuisse, quam vulgo jactantur, videmus enim temporis successu, res quæ narrantur, plurimum amplificari. Nihilominus tamen, sicut certum est, easdem res interdum etiam minui; ita nec incertum, inter Græcos, præstantes admodum tibicines, fidicines, & citharædos, inventos esse, qui ita psallerent, ut homines ad hoc aut illud pathema commovere possent, sive melioribus quam nunc, sive deterioribus instrumentis uterentur. Rudes autem & ignaros fuisse, videtur incredibile, cum omnes contra ad unum fermè contendant, omnium artium, & scientiarum naturalium fuisse peritissimos. Enimvero quis Apelle pictor excellentior? Ptolomæo quis major

Astro-

Astronomus? Apollonio Geometra præstantior? quisque Archimede mechanicus admirabilior unquam apparuit? Vis viros Eloquentiæ, laude insignes? apud prophanos Demosthenem; apud sacros Crysostomum obsecrò contemplare. Neque Musicam excipere potes, vel existimare, nòn ita eos concentuum, ut aliarum rerum scientia, valuisse, quandoquidem harmonia nihil foveat præter id, quod à Rheticâ, Physicâ, Arithmeticâ, Gometricâ, atque harmonicâ proportione mutuò sumit, adeò ut is juxta Platonem *de legibus* Musicus præstantissimus haberi debeat, qui has disciplinas, cum proportionibus & numeris sonoris felicitè atque persicte conjunxerit; quantos vero progressus in Philosophiâ, quantos in harmoniâ, atque proportionibus omnigenis, Græci fecerint, Aristotelis, Ptolomæi, & cæterorum Virorum incomparabilium opera admiranda, hucusq; testantur; an ideo fabulosam mentionem existimabimus ἀρμονίαν, si jam nòn possimus eam simpliciter canere, καὶ διτεχεῖ τὴν δίστην θῆται τὸ βαρύν, vel ἐπαντίως θῆται τὸ ὄξος? Omitto, quod Aristides afferat, se suo tempore cecinisse harmoniam puram. At sive harmoniâ simplici usi fuerint, sive non, certum tamen est, eos egregie cecinisse, & saltem cum ditono, quasdam chordas enharmonicas aliquando conjunxisse.

Placet verò Musicæ Græcæ vim, ex optimis auctoribus, Platone & Aristotele probare. Itaque ille

ait lib 7. de legibus: *Omnem Musice rationem in numeris & modulis sitam, esse morum imitationem θελήσανταν καὶ χειρόνων ἀνθρώπων* fusè docet 3. de Republ: Melodiam Reipublicæ custodi necessariam esse, ut mores suos informet, eam in animum efficaciter immanare, atq[ue] in eo varios affectus ciere, quum λόγῳ αρμονίᾳ & πυθμᾶ consetet, quamvis ibidem recte μαλακας ἐστοντος τῶν ἀρμονῶν rejiciat, quales esse putat Jonicas & Lydias, quas χαλορὰς ( effeminatas ) appellat, ne videlicet Civitatis custodes effeminati evadant. Idem paulo inferius de Rythmo docet, qui cum pariter ad Musicam accedere debeat, idem de eâ affectu censendus est.

Arist. 8. Polit.c. 5, de Musicâ fusè disquirens, & num aliquâ qualitate, quæ ad mores pertineat, per eam afficiamur; ita ipse responderet: affici cum illa, tum Concentus Olympici declarant, quibus animos constat in furorem rapi. *furor autem affectio est morum, qui animam attingunt.* At vero in ipsis cantibus, subjecit, isti μακραγγάτων ήθων, καὶ τοιτέστι Φανερόν, idque adeo verum esse dicit, ut etiam credat ipsam modulationem sine sermone, mores præ se ferre. Voces autem, mores ipsos referre dicuntur, à quibus exsunt, unde cum à turpibus & lascivis cantilenæ audiuntur, illorum procacitatem & levitatem referunt, si vero à virtute præditis procedant temperantia, castitas, & ipsa virtus, in voce relucere videtur.

MO-

## MOMENTUM TERTIUM,

**N**E vero, quisquam miretur, vim illam Musicæ antiquæ nobis erectam esse, vel existimet, ea falsa & fictitia esse, qvæ de illius virtute diximus, id deinceps cautum fiet, ubi in specie etiam dabis-  
mus, qvanta sit vis Musicæ in Rheticâ. Sed quid audio? posse quidem id concedi suo modo,  
quod Musica tantam vim habeat; quomodo autem morbos curare queat? quomodo etiam Dæmonas expellere? cuius exemplum præstitit Rex David, ludens coram Saule, id vero majus esse, quam ut per solam μουσικὴν atque συμφορὰν fieri possit: sed sic majus, eo tamen etiam concentus harmonicus non parum conferre potest, qva naturæ passiones levandas, per varios sonos. Nam Musica Davidis, nullis licet adjuta in specie Cælestibus influentiis, duobus Saulem modis sedare potuit. Primo, spiritus, fumosque cerebri Saulis ita movendo, calefaciendo, atque attenuando, ut succum melancholicum dissipaverint. Secundo, ubi spiritus illi, melancholicum succum relinquerunt, non potuit sœvire, donec redirent, qvi à ex le terrestris est, & velut actione destitutus, nisi spiritus vitales atque animales illum moverint, atque huc illucque traduxerint. Quis scit, num non Davidis Musica, proportionem aliquam exhibuerit, quæ cerebri temperamento, vel spiritibus ei accom-  
modis

modis ita corresponderit, ut cerebrum alteratum & dissonans in concentum redegerit? ut ut autem sint ista, illud nihilominus pro certo habemus, Davidis devotam cantilenam, quam ore pronunciavit, dum eandem cithara referebat ( accedente benedictione divina ) hic utramque paginam fecisse. Evidem quia DEUS psallenti Davidi, peculiari suâ benedictione, voluit adesse, dans verbis vim & energiam, lyræ cū sono Dæmonē expellere potuisse, mihi perlvadeo; rebus enim corporeis sæpè DEUS utitur, ut qui spiritus suum imperium detrectarunt, ab infimis creaturis corporeis patientur. Quin imo Davidis intentio, & Saulis attentio, non parum juvare potuit, præsertim si David, ( quod extra dubium est ) ore cecinerit. Huc facit quod Aristid: l. 2 rectè advertit; *Musicam esse veluti medicinam*; Nam, quemadmodum unum idemque medicamentum, licet ad simile morbi genus, pluribus corporibus admotum, non similiter operatur, sed in quibusdam velocius, in quibusdam tardius, ita melos hunc magis quam illum excitat. Hinc sit ut egregii Musici, per intervalla & Rythmum, quæ duo, ad animi pathemata commovenda imprimis reqviruntur, quaslibet passiones commovere valeant, dum modo sciant, cuius quisque sit temperamenti, & quos motus ejus passio commota, quosque pulsus obtineat. Concludere etiam possumus ē Davidis Exemplo, odium

dium Musici plurimum impedit, ne te commo-  
veat, quid enim tibi prospicit, quem odio habueris?  
si quid gratum cecinerit, videbitur tamen tibi in  
gratissimum, quapropter Saulem sibi infensum Da-  
vid placare non æque potuisset, tametsi non minus  
pulchrè caneret, neque minori furoris sedandi diside-  
rio teneretur. Musicus igitur, auditorum benivo-  
lentiam instar Rhetoris & Oratoris sibi concilia-  
re, se in eorum amicitiam insinuare, temperamen-  
tum & ingenium, atque affectus animi sibi nota  
facere debet, si nobilem effectum producere ve-  
lit, vel saltim cadere debet, ne odio habeatur;  
Quemadmodum Rhetor, vice versa se componere  
debet, ad morem Musici; qui ista omnia probè  
norit, & ad praxin producere potest. Adeo hæ  
disciplinæ se mutuo respiciunt, ut una sine altera  
vix esse, aut bene esse, possit, quod nunc in se-  
quentibus in specie dabimus.

## M O M E N T U M Q V A R T U M .

**D**ixi Musicen & Rheticen sic se mutuo re-  
spicere, ut nemo facile dici possit bonus Rhe-  
tor atque orator, nisi etiam quadantenus peritus  
sit artis Musicæ; hinc tantum jam antiquis tem-  
poribus, non studii modo, sed etiam venerationis  
mutuæ, utriscq; intercessit, ut iidem Musici, & vates,  
& sapientes judicentur, parique cum Philosophis  
in.

in honore haberentur, videatur Commentarius Joh: Meursii ad Lycotrontem. Quippe Musicæ nomine, omnem disciplinam complectebantur, nam qui Musici erant, cum svavibus illis modis, rerum omnium peritiam conjungebant, unde etiam didymus in odyss: Homeri, cantorem accipit pro Philosopho, conf: Cic: de Orat: Mittam alios. certè Timagenes, quem Suidas scribit fuisse historicum, & Rhetorem Milesium, auctor est omnium in Literis studiorum, antiquissimum Musicen extitisse. Atque claros sapientiā viros, nemo dubitaverit, studiolos etiam fuisse Musices; Pythagoras enim, & eum sequuti, res omnes, ad numeros & Musicam retulerunt, nisi acceptā sine dubio antiquitus opinione quā ferebant, mundum ipsum eā ratione esse compositum, quam postea sit lyra imitata; Quemadmodum enim idem intelligebat Pythagoras etiam de Sphæris Cælestibus, quarum supremam acutissimum sonum efficere scripsit, infimam vero, gravissimum. Quid de Philosophis loquor, quorum non postremus Socrates, jam senex institui lyra, non erubescet, Duces maximos, & fidibus, & tibiis cecinisse scribit, Quintil. Non itaque frustra Plato civili viro, quem *πολιτικὸν* vocat, & cuique qui haberi vult literatus, necessariam esse Musicen credidit. Demum, in proverbium apud græcos abiit, *Indoctos à Masis & Gratiis abesse.* Verum quid boni ex eā, propriè & speciatim, petat futurus Orator, id in sequentibus cognoscendum damus. CA.

## CAPUT TERTIUM.

Charakteres & stilos, ad Musi-  
cam rationem examinans.

## MOMENTUM PRIMUM.

**T** itaque stemus pro-  
missis, atque adeo isti quam nobis præ-  
scripsimus viæ preslè insistamus, præ-  
notamus, Characterem stili, non uno se  
habere, nec posse, neve debere, modo, quin potius  
pro triplici Materiæ natura sit, vel humilis, vel me-  
diocris, vel grandis. Dum autem hæc dicendi ge-  
nera inter se miscentur (ut Keckermannus inquit )  
sicut Musici tonos miscent, mixtus adpellari solet.  
Ergo in qvilibet Charactere consideranda sunt *res*,  
*verba*, & *Compositio*, quemadmodum in Mūsicā pari-  
lem ad modum, considerandæ veniunt, *Claves*, *voces*,  
*Cantus*, *mutationes*, *figuræ*, *signa*, *Proportiones*, *Toni* seu  
*modi*; de qvibus suo loco. Monent Rethores in re-  
grandi, magnificè & gravitè procedendum esse;  
ut si verba de *DEO* facienda sint, & rebus Divinis,  
de *REGE* & *Republicâ*, de fulmine acterræ motu &c.

C

Sed

Sed causam tenuem potissimum decere genus humile, sicut mediocri convenit genus temperatum. Dictionis enim Caracter ex Materiarum diversitate dependet, quæ cum multis modis variet, sive Musican, sive Rheticen, species, in priori pulsationis, seu Cantus & harmoniæ, in posteriori stili variationem fundat; Etenim verum omni parte illud Vos sit: *Quemadmodum aliis ornatus principi est conveniens, aliis privato, aliud schema militem, aliud mercatorem, aliud agricolam, aliud Philosophum decet, ita neque omnis materia eodem tractanda est modo.* Quæ omnia, in se licet clara, mox ulterius diducemus, quò manifestum fiat, quid quantumque commodi, Rheticus, sive futurus Orator, ex peritia artis Musicæ habeat, ut exinde videri possit, & quomodo Musicus se gerere debeat, artis suæ ut vim exerat, & item Rheticus, quò ad modum periti Musici, arte suâ, animos hominum in diversa flectere queat.

Primum ideo, quod ad perfectam vim Musicæ restituendam, Musicus observare debet, post bonam inventionem & dispositionem, ad ipsas dictiones attinet, quæ dum canuntur, optimè pronuntiari debent, ita ut ab audientibus quos movere cupit, distinctè percipientur. *Non enim in puerō, quem in hoc iustituius genere, inquit Quintil;* aut vocis exilitate frangit volo, aut similiter tremere, nec uitia ebrietatis effingat, nec servili vernilitate imbuatur, nec amoris, avaricie, metus

discat affectum; nam frequens imitatio transit in mores. Qvod autem pronuntiatio, maximam vim habeat, tam in Musicâ, quam Oratoria, patet ex eo, quod eadem verba mutata pronunciatione, indicent, asseverent, exprobrent, indignentur, interrogent, irridéant, elevent, & in iisdem nullam gratiam quandoq; virtus habeat, qvin potius ipsa vitia delecent. Unde rebus ipsis pronuntiatio est conformanda. Enimvero sine pronunciatione seria in Eloquentiâ, & pullatione seu cantione in Musicâ efficaci & accommodata rebus, tempori, personæ, friget inventio, torpet dispositio, languescit univerlus elocutionis ardor: qvamobrem benè Quint: id intellexit, cum scriberet: *Infantes actionis dignitate eloquentie sepe frumentum tulerunt; & diserti, deformitate agendi, multi infantes putati sunt.* si enim rem recte examinamus, deprehendemus omnes animi motus per hæc tria sonum, agitationem, & gestum se explicare. Voces ut chordæ, sunt intentæ ad quemque tactum recipiendum, acutum, gravem, citum, tardum, magnum, parvum, mediocrem: Hinc plura genera sonorum diffunduntur; lenis, alper, contractus, amplius, flexus, tractus, scissus, inflatus. Debet etiam Eloquentiæ Candidatus, non ut iners Musicus, eadem chorda semper oberrare, sed varianti voce, ita ut probus Musicus & Cantor, gratiam & gloriam aucepatur. *Iracundius fulmen*, sonum postulat acutum,

incitatum, crebro incidentem. *Miseratio vero & Mæror*, flexilem, interruptum & flebilem. At *metus*, *demissum*, *hæsitantem*, *abjectum*. *Voluptas* autem, *effusum*, *blandum*, *hilarem*, ac *remissum* amat; *observanda* igitur sunt hæc momenta. 1. *Quantitas* *vocum*: fugiet langvidum murmur; inconditam *vo- ciferationem*, concitatam *volubilitatem*, effœminatam *tarditatem*, & servabit ubique *tonum clarum* & *moderatum*. 2. *Qualitas* *vocum*, id suo jure po- stulat, ut *tonus* sit *emendatus*, non peregrinâ rusticitate turgidus. Sit *dulcis*, *clarus*, *expeditus*; non *inarticulatus*, *obscurus*, *implicitus*, & *fractus*. Sit *variabilis*; nunc *sedatus*, nunc *plenus*, nunc *virilior*, non *præpinguis*, non *unisonus*, non *intermis- sione effusus*, & sine mutatione *contentus*. Scilicet, vox sequatur animæ & naturæ *ductum*, ad rerum quæ proferuntur genium prorsus *accommodata*. 3. *Temperantia vocis in verbis singulis que vult*: ut verba pondere ac numero gravia, tardius pronuntientur; leviora autem & numero brevia, citius & mollius: ut propria & tropica, acutæ *Ironie*, illustres *Metaphoræ*, consimiles efficaci excellentiâ splen- dentes formulæ, erectâ & tonanti locutione proferan- tur: Ut figuræ dictionum, *anaphora*, *Epistrophe*, *Epanalepsis*, delicatâ motâ modulatione, & concin- nâ auribus gratia, dicantur. *Temperantia vocis circa expressionem affectuum*, hoc efflagitat, ut sonus sit in rebus

rebus lātis, alacris, jucundus, tripudians; *In tristibus*, calamitosus, querulus, plangens; *In dolore*, lugubris, squalens, imò preslu obductus; *In voluptate tener*, saltans, hilaris; *In irā*, atrox, alper, vacillans; *In reverentia*, contractus, pudibundus, hæsitans; *In blandiendo*, fatendo, rogando, lenis, candidus, submissior; *In suadendo*, pollicendo, fortis, gravis, constans; *In consolando*, cautus, modicè inflexus, victoriosus; *In laudando*, latus, magnificus, pomposus; *In contentione*, volubilis, pugnans. Cæteri admirantium, interrogantium, ridentium moduli, suas habent peculiares voices. 5. *Temperatio vocis*, respectu partium orationis, hæc sequitur Præcepta. In *exordio*, est submissa, modesta, affabilis. In *propositione*, sonora, explicata, & altior. In *narratione*, aperta, simplex, dilucida. In *confirmatione*, agilis, acris, instans, temperata. In *contentione*, multiplex, bellatoria, alacris. In *Epilogo*, inflexa, excitata, variis distincta aculeis.

Secundum, quod requiritur, quemadmodum in perfecto Musico, sic etiam in Oratore, est, ut auscultatores non solum distinctè audiant, sed & verborum proprietatem, probè intelligant. Verborum namque intellectus, velut dictorum ac versuum anima est, cætera omnia informem materiem existimaveris, si intellectus abtuerit, qvâ enim ratione quæso, animi tui conceptum in auditorum animos transferre velis, si quod proters ad persuadend-

dendum, non intelligant: ut autem is, qui Literas amico scriberet, se ridiculum exhiberet, si ei græcè scriberet, qui solum peritus esset germanicæ, vel lingvæ gallicæ, quid nisi stultus haberetur, cum sic literæ à scopo, ad quem collineare debebant, nimis mirum, ut scribentis exprimant mentem, omnino aberrarent; Ita qui loquitur, vel canit, ut animos auditorum, commoveat, & quo volet agat, vel ab irâ & indignatione ad temperantiam, lenitatem, atque modestiam, reducat, si græcâ vel hebræâ lingvâ coram Gallo uteretur, qui solum gallicè sciret, is procul dubio deridendus.

Tertium quod sequitur requisitum, Musici seu Canentes, ad perfectam vim Musicæ restituendam, diligentè observare debent, quod est metrum & dictiōnum quantitas, seu numerus. Cui jungent semper aptam & concinnam convenientiam atque modulationem, in vocis productione, & proportione numerosa, & per participationem in debita corporis conformatione, nam quando gestu optimo, Musicus atque Orator movetur, in ejus corpore dicitur esse numerus. Ita idem etiam ad perfectam vim Eloquentiæ, futurus Rhetor atque Orator observabit. Numeros Musica duplices habet, in vocibus & in corpore, utriusque enim rei, aptus quidam modus desideratur. Vocis rationem Aristoxenus Musicus dividit, in ῥυθμὸν & μέλος ἐμμέλον, quorum alterum,

modulatione, alterum, canore ac sonis constat; hæc omnia Oratori itidem necessaria, quorum unum, nempè habitus corporis, ad gestum numeri, alterum ( Rytinus ) ad collocationem verborum, tertium, ut potè μέλος, ad flexus vocis, qui sunt in agendo quoqve plurimi, pertinet. Nisi forte in carminibus tantum & in canticis exigitur structura quædam, & inostensa copulatio vocum, in agendo supervacua est, aut non compositio & sonus, in Oratione quoque variè pro rerum modo adhibetur, sicut in Musicâ. Nam & voce, & modulatione, grandia elatè, jucunda dulciter, moderata leniter canit, totâque arte consentit, cum eorum, quæ dicuntur affectibus. Atque in *orando* quoqve intentio vocis, remissio, flexus, pertinet, ad movendos audientium affectus: Aliaqve & collocationis & vocis modulatione, concitationem judicum, alia misericordiam petimus, cum etiam *organis*, quibus *termo* exprimi non potest, affici animos in diversum habitum sentiamus, corporis quoqve decens & aptus motus, qui dicitur ἐνθυμία, est necessarius, sive *capitis* fuerit, sive *digitorum* & *manuum*, aut etiam ipsorum *pedum*, quibus ad vivum exprimant, quæ profertur, ut sic ipsa voce & motu, rem ipsam propemodum oculis subjiciant, ut id syadeatur, quod verbis complexi fuerint.

MO-

69

## MOMENTUM SECUNDUM.

**Q**uartò, ut Musicus ex calculo omnium, optimas voces, & apta Instrumenta eligere debet, & qui canunt, vel ludunt, peritissimi, atque adeò exercitissimi esse debent in arte suâ; Pari ratione Rhetor, si propositum sibi finem obtinere cupit, h. e. si dicere ad peritadendum adpositè velit, de deletu verborum sollicitus esse debet. Rhetor enim ex Cornelii Taciti mente: *sicut locuples & laudatus Paterfamiliae sit*, oportet, nòn qui eo tantum regatur tecto, quod imbre & ventum arceat, sed etiam, quod visum & oculos delectet. Non eâ solùm instructus supellectile, qvæ necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu ejus, & aurum & gemmæ, ut sumere in manus, & aspicere sàpè liceat. Qvædam verò procùl arceantur, ut jàm oblitterata & olentia, nullum sit verbum velut rubigine infestum, nulli census tardâ & inertî structura in momentum annalium componantur, fugiat fœdam & insullam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas, uno & eodem modo terminet.

## MOMENTUM TERTIUM.

**Q**vinto, sicut peritus Musicus id curat, ut ea canantur, quibus auditores affici possint, & aenti reddantur, ad ea, quæ canuntur, atque adeò

deò cantilenâ, illorum moribus, humoribus, temper-  
mentisq; & usui accoffnodet, quos excitare vult. Sic  
virtus Rhetoris est in iis, quos cōmovendos suscepit,  
notare discrimina ingeniorum, & quo quemque na-  
tura ferat, maximè scire. Nam est in hoc incredibi-  
lis quædam varietas, nec pauciores animorum penē  
quam corporum formæ. Utile deinde plerisq; visum  
est, ita quemque instituere, ut propria naturæ bona,  
doctrina tōverent, ut eō quō tenderent ingenio potissi-  
mum, juvarentur: Vel ut quis Palæstræ peritus, dum  
plerū pueris gymnasium ingreditur, primò singulorū  
curā omni corpus, animumq; explorat, cui quisque  
certamini sit præparandus, ità Præceptorem Elo-  
quentiæ decet, cum sagaciter fuerit intuitus, quo  
ingenio quisq; sit, similiter se commodare omnibus  
& singulis, ut in eo, quo quisque eminet, provehatur,  
quo & adjuta curâ magis natura evalefac, & ea  
in quæ natus videtur institutio reddat faciliora.  
Verum ei qui foro destinatur, non in unam aliamq;  
partem, sed in omnia, quæ sunt ejus operis, elab-  
orandum est, non enim satis est dicere pressè tan-  
tum, aut subtiliter, aut asperè: non magis quam  
Phonasco (vocalitatis Magistro) acutis tantum, aut  
mediis, aut gravibus sonis, aut horum etiam par-  
ticulis excellere: nam sicut cithara, ita oratio per-  
fecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus  
intenta nervis consentiat.

## MOMENTUM QUARTUM,

**S**extò, si stylo vis perfecto suo vigore constabit, è re est, ut certis præscriptis ad Musicam pertinentibus, uratur. Athan: Kirckerus sic de hoc negotio: *Stylus, impressus vel expressus est; stylus impressus, dependet ab hominibus, quoad eorum naturalem complexionem; Expressus vero, est certa ratio scribendi, accommodata ad Compositionem.* Hic habet 8. genera. 1. ille qui in templo adhibetur in hymnis, gradualibus, & Antiphonis & dicitur *Ecclesiasticus*: qui est *ligatus vel solutus*; prior ad cantum choralē seu firmum spectat, posterior in Componistæ voluntate seu beneplacito est. 2. est *Canonicus*. 3. *Moteticus*. 4. *Phantasticus*. 5. *Madrigalensis*. 6. *Melismaticus*. 7. *Hyporchematicus*. 8. *Syraphoniacus*. 9. *Recitativus*. Inter hos etiam, locum, suo titulo, vendicat sibi *Tabulatura nostra antiquissima, & Bassus Generalis*, quem *Continuum* appellamus, quibus sanè progressu temporis, accessit propolitio & elaboratio tanta, ut non solum existeret svavissima excellentia, sed & excellētissima svavitas. Hinc tot monetæ, tot melodiæ Christianæ; tot Cœlestes harmoniæ, madrigalia Sacra, concentus Ecclesiastici, Cymbala Sacra, Symphoniaræ sacræ, opera melica, & symphoniaci circi, laudē Dei uno concentu resonant. Ita adhuc hodiè fit in Europâ: Itali alium stilum usurpant; Germani alium, imo & Angli ab illorum stilo longè distant, de qua re Kirckerus vici-

vicissim : Die Italiener haben einen andern stilum als die Deutschen / diese als die Franzosen/ diese als die Spanier / ja die Engländer / haben auch einen ganz främden stilum : Jeder richtet sich nach dem natürlichen Temperament und des Lands Gewonheit. Die Italiener hassen an den Deutschen ihre morosische Gravität/ so sic in ihrem stylo sehen lassen: An den Franzosen die gar zu vielfältige teretismos und Erzitterung der Stimmen in den Harmonischen Clauseln/ &c. An den Spaniern den angenommenen Pracht und Stolz : Dagegen diese strafen an den Italiänen die unannehmliche Wiederholung der Trillen / dardurch/ sonderlich wan sie undiscret gemacht worden / alle Zierd der Harmony benönen wird/ kommt hin zu das ungereimte Caprizien der Stimmen/ da mehr Gelächter als affectus bewogen werden/ nach dem Spruchwort : *Itali capris zant: Hispani latrant: Germani boant: cantant Galli.*

## MOMENTUM QUINTUM,

**M**ulta sunt præterea, quæ tam Rhetorem quam Musicum juvare possunt, si scilicet Medicinæ, & Philosophiæ, Historiæ, Chronologiæ, Geographiæ, & totius denique Cosmographiæ quadantenus peritus sit, proderit & Astronomia, & summopere quidem Theologia, moralis præsertim, ex omni parte necessaria, non solum, ut doctus sit uterque ( scilicet & Musicus & Rhetor ) sed etiam ut virtute-

eure prædicus, & DEUM optimum, maximumque  
coro corde diligat; Sciatque DIVINI NUMINIS  
gloriam, laudesq; in æternum decantandas, & Rhei-  
tor sive Orator, comto sermone cunctos, ad ejusdem  
sanctissimi NOMINIS gloriam atque Majestatem cele-  
brandam, provocet, atque illius dilectionem in au-  
ditorum corda pro virili insinuet: juxta Basilium  
magnum in Psalm: 29. Psalmus est oratio Musica, quandū  
Concinnè juxea rationes metricas ad instrumentum pulsar-  
tur. Hymnus est canticum, laudes DEI complettens: Ode  
est vox concinna ad numeros edita absg; instrumenti concentu.  
Ut ita unicè DEI gloria Musicæ, non minus quam  
Eloquentiæ, & omnium denique Scientiarum sco-  
pus nobis existat, faxit DEUS noster qui solus di-  
gnus, in cujus laudibus concinendis & exfolle-  
dis, omnes, vitam, Spiritum, affectum torum, ipsam  
denique æternitatem, impendant.

### D E O, R E G I S E C U L O R U M,

Immortali,

Invisibili,

Soli sapienti,

Soli potenti,

Honor, gloria,

In secula seculorum,

A M N.

# Högtåhrade Her Bror.

**G**ag skattar mig helt säll/ at iag/ min Bror/ får  
fågna/  
Mitt sinne der utaf/ att man den dagen seer  
På hwilken dygden sielf Ehr ungdoms wåhr  
nu geer/  
Den prijs Ehrt lärda Wärct/ sig skähligt kan tillågna;

I samma Lärdoms Prof och så i linset gifvit  
Och der i konstigt spehl med konstigt rahl jämfört.  
Ty hur' Arion och Amphion hafva rört  
Bå grymr och stumme ting/ der om är nogsamit skrifvit.

Men hwem i zijrligt thal haar wijsst sitt Mästersycke?  
Det hafwer Cicero sielf burit witne om  
I sine skrifster och för dem ett låf bekom/  
Som ewigt wara lähr/ och wunnit båsta tycke.

Nu utom det att of Ehrt lärda Arbeet wijsar  
Hwad likheet bågges konst/ samt hwadfor wårkanthe  
å ömsa sidor haa och åth hwarannan gee/  
Så till alt öfverflöd alt detta i Ehr lyser.

Ty i the förres konst är I en mindre färdig/  
Än i den senares Ehrt wittra snille röns/  
Ty Pindi täcka folk Ehr derför ger till löns  
Det som Ehr stora fljst/ i sådant mähl är wårdig.

J. BORG.

MONSIEUR

Etant la nature d'un' amitié veritable de se rejoirir  
du progrés & de la fortune de ses amis, je ne puis  
qu'avec une tres-juste raison témoigner l'extreme joye  
que je prends, Monsieur, de vôtre heureux succez dans  
des belles études, dont en peu de jours vous donnerez au  
monde une marque tres solide, en comparant tres do-  
élement à Eloquence avec La Musique; & même, je me  
rejouis de vôtre avancement, mais encore plus d'avoir  
trouvé une si agreable & si belle occasion de vous  
témoigner ma joye. Et si je ne le faisois pas, je ferois tort à vos  
merites, n' étant rien plus juste que de vous louer, a qui la  
vertu veritable & l' habitation de toutes les belles sciences  
se trouvent si heureusement rencontrées, c'est pourquoi  
je veux esperer que tous les admirateurs des études  
vous donneront des louanges que vous avez ac-  
quité en scavant, dans ce beau ouvrage. Au reste, je  
vous souhaite en vôtre propos honeste toute sorte  
de felicité & de prosperité, & que vous joueriez tel-  
lement icy avec L' Eloquante Musique, qu' enfin vous  
puissiez jouer sans cesse sur des Instruments angelique  
dans L' assemblée heureuse des Thriumphans au ciel;  
ce qu' est un voeu plus du coeur que de bouche, pendant  
que je demeure tres-sincèrement.

MONSIEUR

D' Abo le 2.  
De ce mois  
L' An 1703.

vôtre  
Tres-obéissant & Tres-  
fidele serviteur  
PIERRE HELDINGH.

# R H E T O R M U S I C E,

F R A T E R Dilectissime.

S candere difficile est virtutis pulpita vera.  
Illiū in summo at vertice tuta qvies.

Mandere jucundum est, nucleum succoque potiri;

Frangere sed rigidam res operosa nucem;  
Quam sit amicum inter *Citharædam* & *Rhetora*  
fœdus,

Hæc tua mi Frater, charta modesta docet.  
Te manet is fructus, qvem docta modestia spon-  
det,

Te laus certa manet: vive valeqve diu!

AND. PREUTZ.



LIBRARY OF CONGRESS  
ST. LOUIS PUBLIC LIBRARY  
A collection of books on  
the history of the United States  
and its people  
from the earliest times  
to the present day  
including  
a large number of  
rare  
books  
and  
maps

Ms. A. 1. 6. 141